



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Principia Juris Canonici : Ex Libro ... Decretalium Gregorii
IX. Pontificis M / Antehac In Alma & Archi-Episcopali
Benedictina Universitate Salisburgensi**

König, Robert

Salisburgi, 1725

VD18 80460526

17 [i.e. 27]. De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61800)

TITULUS XVII.

De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.

SUMMARIÆ:

1. Quo modo violatur censura? 2. Quæ pena violentis censuram?

§. I.

Tertium Clericorum delictum est violentio censura per usurpationem ministerii ab Ecclesia prohibiti; quod fit, si excommunicatus, suspensus, vel interdictus temerè actum Ordinis exercent, aut licet ipse nullà censurà innodatus sit, in loco tamen interdicto extra dies ab Ecclesia permisos Divina celebret.

§. II.

Pœna hujus delicti est, quòd Clericus, qui censuram, utut occultam, per actum sui Ordinis temerè violavit, eò ipsò citra omnem sententiam irregularitatem incurrat juxta *c. 1. de sent. & re judic. in 6. cap. is, qui s. si vero. c. is cui. 20. de sent. excomm. in 6.* quæ id expressè statuunt de violentibus suspensionem, & interdictum etiam locale, & *c. illud. 5. in fin. c. ult. h. tit.* ex quibus DD. communiter colligunt, & Ecclesiæ usus approbat, quòd etiam excommunicatus excommunicatione majore (non minore) ob eandem causam irregularis fiat. Imò amplius, excommunicatus, aut interdictus celebrans Divina, ab ordinibus quoque per sententiam Judicis Ecclesiastici deponi potest. *cap. 3. & 6. h. c.* & e contra depositus, vel degradatus, si nihilominus ministerium ordinis exercere præsumat, excommunicatur, & si sit incorrigibilis, exiliò damnatur. *cap. 1. & 2. Eod.*

S 2

TI-

cuunt Imperatores in *l. un. C. Si quis Imperat. maledix.* quia dum maledicentem sibi pœnæ nolunt subjugari, neque durum aliquid, neque asperum sustinere, jubent quoque rem ad suam scientiam referri, ut ex personis hominum dicta pensare, & ex arbitrio parcere, aut punire possint; quò ipsò tacitè innuunt, quòd, si injuria tantum redundet in personam Principis, magnanimæ virtutis sit, si Princeps, etsi punire possit, benignè indulgeat; prout de hoc insigne exemplum Pii V. Pontificis refert Barb. in *d. c. 1. num. 2.* si verò injuria in ipsam dignitatem, & officium Principis immediatè illata sit, ne veniat in contemptum, omnino graviter punienda sit juxta *c. 1. cit. & Gloss. ibid.*

Pœna blasphemia alia est de Jure Can. alia de Jure Civili. De *Jure Canonico* statuitur in *c. 2. h. t.* ut Laici blasphemantes soleant pœnitentià (quæ ibi fusiùs describitur) & pœnà pecuniaria coërceantur; quam si renuerint peragere, Ecclesiæ eis interdicatur ingressus, & mortuis Ecclesiastica denegetur sepultura. Clericis tamen videtur hæc publica pœnitentià remissa, pro qua privata eisdem indicitur. *c. quicumque. 56. dist. 50.*

De *Jure Civili* pœna blasphemantium est ultimum supplicium per *rext. in novella 77. c. 1.* prout & in Veteri Testamento. *Levit. 24.* pœna mortis, nempe lapidationis blasphemis inferebatur. Mortis pœnam pro gravi blasphemia quoque constituit Carolus V. In levioribus autem præcisionem linguæ, mulctam pecuniariam, vel pœnam carceris, aut aliam arbitriam, habità videlicet ratione circumstantiarum tam personæ blasphemantis, quàm ipsius blasphemie. *Constit. crim. a. 106. Berlich. p. 4. concl. 1. & 2.*

Nostris temporibus, proh dolor! pœna blasphemie ferè in desuetudinem abiit.